

Secundum exemplum est de privilegio concessio patri; nam intelligitur concessum filiis, quia censetur unum cum patre, l. *Etiam*, 19, ff. Solut. matrimon.; sentit Bald., in leg. ult., c. de Libertis et eor. lib., n. 8, et in l. *Non plures*, c. de Sacros. Eccles., n. 7; et videri potest Barbos. in l. *Maritus*, 12, n. 79. Tertium et simile exemplum est, quod nomine filiorum solent nepotes in privilegiis venire, ut sumitur ex Authent. *Si quid*, c. Qui potio. in pign. hab., et ex l. *Justa*, 201, ff. de Verb. signif., et tradit Bart. in l. *Si cum procuratore*, ff. de Re judic. in fine; Antonin. Negusian., tract. de Pignorib., part. 1, memb. 4, n. 95, ubi alios refert. Quartum exemplum est: nam privilegium domino concessum consequenter conceditur servis qui illum comitantur, et concessum sacerdoti ad celebrandum, est virtute concessum ministranti, et sic de aliis quæ videntur esse correlativa, vel conjuncta in usu privilegii.

4. *Regula generalis.* — Nihilominus in hoc puncto regula generalis constituenda est, subjectum actuale privilegii (ut sic dicam), seu personam vel rem cui actu conceditur privilegium, illam tantum esse quæ in ipso privilegio exprimitur, vel ex vi vocis, aut actionis, seu materiæ, vel ex aliqua juris dispositione sub illa comprehenditur. Hanc assertionem quoad regulam generalem probant sufficienter rationes dubitandi in principio positæ. Solum, in tertia ratione, est advertendum non æque procedere in omni privilegio, sed distinctione utendum esse, ut infra, tractando de interpretatione privilegii, latius dicemus. Nam privilegium juri communi contrarium sub ea ratione odiosum censetur, et ideo potius restringendum est quam ampliandum. Item privilegium, licet sit præter vel supra jus, si cedat in præjudicium tertii, secundum eam rationem est stricti juris, et coarctandum, ut omnes auctores proxime citati fatentur. Et ita in his duobus privilegiorum generibus maxime procedit regula data, et vix habet exceptionem saltem in *casu dubio*, sed tantum in *casu certo*, juxta circumstantias in secunda parte assertionis insinuatæ. Et ratio est, quia non præsumitur princeps plus velle derogare juri communi aut velle privare aliquem jure acquisito, vel majus præjudicium tertio inferre, quam suis verbis exprimat ac declaret; ergo in dubio semper limitandum est privilegium ad personam in eo expressam, quando vel derogat juri communi, vel alterum lædit.

5. At vero, quando privilegium est omnino

favorabile, sine præjudicio juris communis aut tertii, tunc ample quidem intelligendum est, ideoque extendi potest facilius ad personas non clare expressas in privilegio. Quia vero tota concessio et extensio pendet ex intentione concedentis, quæ ex verbis cognosci debet, ideo necesse est ut, vel privilegium intelligatur concessum soli personæ in illo expressæ, vel si aliqua extensio est faciendæ, oportet ut sit per aliquam necessariam connexionem cum illa. Hæc autem connexio videtur necessario sumenda vel ex significatione vocis, quia cum proprietate patitur illam ampliationem, licet alium etiam usum habere possit, vel ex necessitate materiæ vel actionis, quia sine tali extensione privilegium reddetur inutile, aut inurbanum, aut moribus hominum non accommodatum, quod de principe præsumendum non est. Neque præter hæc duo capita videtur posse excogitari aliud, quod ex ipsomet privilegio sumi possit ad extendendum illud. Addidimus vero tertium caput in assertionem, scilicet, juris dispositionem, quia jus habet vim et auctoritatem ad amplianda privilegia, et ad privilegiorum verba declaranda, vel augenda, quoad eorum significationem. Quando ergo prædicta connexio ex aliquo capite istorum satis nota fuerit, tunc certa est illius ampliatio ad personas connexas, et in privilegiis hujus tertii generis idem servari poterit in casu dubio, quia hoc privilegium non est stricti juris; et ita retorquendo tertiam rationem in principio factam, manet declarata et probata tota assertio; declarabitur tamen amplius respondendo ad posteriora exempla: nam priores rationes non postulant solutionem. Et rationi in contrarium objectæ damus totum quod intendit; propter illam enim assignavimus regulam cum prædicta moderatione, quæ nobis videtur exceptiones omnes, quæ fieri possunt, comprehendere, quod respondendo ad exempla adducta patebit, nam eadem erit ratio aliorum.

6. Ad primum ergo exemplum, respondeo duobus modis posse privilegium concedi viris, uno modo per nomen definite significans viros, seu masculos, ut si loquatur privilegium per hæc ipsa verba *viros*, aut *masculos*: alio modo loqui potest privilegium per nomen communis seu ambiguae significationis, ut est hoc nomen *homo*, *filius*, et alia quæ cum illis adæquate vel adjective conjungi possunt, ut, *religiosus*, *nobilis*, et similia; talia etiam sunt illa signa *nullus*, *omnis*, *quis*, *qui*, et similia. Dico igitur quoties privilegium viris concedi-

tur sub prioribus nominibus, non comprehendere feminas, nec illis concedi. Ita sumitur ex Rebuff. supra dicente, si privilegium concedatur religiosis sub hac additione, *Viris religiosis* (qualis habetur in c. *Pastoralis*, de Privil.), non extendi ad moniales. Confirmarique hoc potest ex his quæ de nomine viri tradit Bart. in l. 1, c. de Dignit., lib. 12, n. 41. Idem certius est si privilegium concedatur *filiis masculis*; nullo enim modo extenditur ad feminas, etiamsi maxime favorabile sit. Et ratio est, quia hæc voces ita significant mares, ut distinguant illos a feminis, et ideo constat ex jure, quando instituuntur seu vocantur *masculi* sub hac voce tantum, excludi feminas, ut late supra tradit Rebuff. dicta lege prima, ad verb. *Masculos*. Addit vero limitationes communes, nisi necessitas cogat aliter interpretari. Sed credo id habere locum in testamentis, quia sæpe testatores, vel propter imperitiam, vel propter turbationem et memoriæ defectum, nominibus improprie utuntur; raro vero accidere in privilegiis, quæ cum majori maturitate conceduntur. Item facilius id admitterem in nomine *vir* quam in nomine *masculi* aut *maris*. Nam *vir* interdum videtur comprehendere feminas, etiam in communi et vulgari sermone, quando materia id requirit, ut est optimum exemplum in cap. 1 de Præsump., quod continet illam sententiam sapientis Proverb. 26: *Sicut noxius est qui mittit sagittas et lanceas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico suo.* Quæ sententia etiam in feminas convenit. Et est frequens in Scriptura, ut Psalm. 1: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*; et Psalm. 111: *Beatus vir qui timet Dominum.* Quibus locis videtur pro nomine generatim sumi. Quo modo etiam videtur intelligi c. *Licet universi*, de Testib. Sed hic usus rarus est, et nisi evidens sit necessitas, ad privilegia non est accommodandus. Multo vero magis vitandus est in nomine *masculi*, vel æquipollenti, quia nunquam proprie accipitur in communi significatione abstrahente ab æquo sexu.

7. Quando nomen est commune duorum, privilegium, maxime favorabile, concessum sub masculino nomine comprehendit alium sexum. — At vero quando nomen est commune duorum, tunc habet locum dicta sententia, quod privilegium, præsertim favorabile, concessum sub masculino nomine, comprehendit sexum femininum; et ita privilegia religiosis alicujus ordinis concessa, intelliguntur etiam concedi feminis in his quæ possunt ipsis adaptari, ut

bene tradit Emman. Roder., tom. 1, q. 13, art. 22. Sic etiam privilegium absolute concessum filiis, etiam filiabus est commune, nisi ex alio capite ex supra dictis limitandum sit, quia ex vi vocis *fili*, nomen commune est filias complectens, ut habetur in l. *Justa*, 201, ff. de Verb. signific., et sumitur ex l. *Filii*, et l. *Cognoscere*, eodem, quatenus in priori dicitur filios vocari omnes liberos; in alia vero dicitur liberorum nomine contineri et viros et feminas; et per se constat, quia liberorum nomen tantum habet masculini formam, et non femininam in hac significatione. Ergo etiam in materia privilegiorum quod filiis absolute conceditur, filiabus etiam datur ex vi vocis, si et illis adaptari possit, et aliunde non constet de mente magis restricta. Idem censeo de nomine fratrum; nam quod illis conceditur, debet intelligi concessum sororibus, posita capacitate, et ablatis aliis impedimentis. Quia nomine fratrum, in communi modo loquendi et Scripturæ, et vulgari, et juris, nomen fratris commune est de se, et ideo nomine fratrum sorores veniunt, ut sumitur ex dicta l. *Lucius*, et ex l. *Tres fratres*, ff. de Pact., et multa similia exempla de consanguineis, propinquis, etc., sumi possunt ex Rebuff. in dict. l. 1, et Tiraq., l. 1 de Retract. linag., § 1, Gloss. 9, n. 200 et sequentib.

CAPUT XI.

AN PRIVILEGIUM EXTENDATUR AD CONJUNCTA SEU CORRELATIVA.

1. Hoc dubium petitur in posterioribus exemplis positæ in capite superiori, et continet varias quæstiones de conjunctis, seu correlativis, an, scilicet, privilegium uni concessum censeatur consequenter alteri concessum; ut, an privilegium concessum marito censeatur concessum uxori, vel datum patri communicetur filiis, et datum avo transeat ad nepotes, vel datum domino communicetur familiaribus seu servientibus, vel datum uni sociorum alteri commune sit. De quibus quæstionibus, qui multa desiderat, legat Barbosam in l. *Quia tale*, ff. de Solut. matr., a num. 22: et Baptist. de S. Blas., tr. de Correlat., præsertim n. 23 et 35. Solum ergo dicimus applicandam esse regulam generalem supra traditam cum suis moderationibus. Nimirum, privilegium concessum uni et propter rationem in illo solo existentem, non transire ad alios quantumvis correlativos, neque illis communicari ex vi

conjunctionis seu correlationis quam inter se habent, nisi aliunde ex materia, usu, aut verbis privilegii, vel ex alia juris dispositione talis extensio habeatur. Ratio regulæ est, quia tale privilegium simpliciter est personale, et relatio vel connexio ad aliam personam non facit identitatem; ergo si per se non spectat ad usum privilegii, nihil etiam deserviet ad communicationem ejus; ergo manet intra limites privilegii personalis, cujus natura est, ut intra personam maneat, adeo ut alteri donari vel in alium transferri non possit, etiam voluntarie cedente ipso privilegiario, ut Barbo. supra late ostendit. Non ergo communicatur correlativo, nisi ex alio capite colligatur extensio. Quod per aliqua exempla circa particularia membra numerata breviter explicatur.

2. *Quando uxor gaudet vel non gaudet privilegio mariti.*—Nam imprimis uxor non gaudet privilegio mariti per se loquendo et nihil amplius addendo, propter rationem factam. Si tamen privilegium concessum sit marito ratione nobilitatis innatæ ex vi generis et stirpis, tale privilegium communicabitur uxori ex dispositione alterius juris, statuentis uxorem nobilis viri esse nobilem, etiamsi ex se ante matrimonium nobilis non esset, et ideo consequenter gaudet privilegio nobilitatis mariti. Et quia uxor, per matrimonium cum persona nobili, ita fit nobilis ut retineat nobilitatem mortuo marito, ideo etiam in viduitate gaudet privilegio mariti. Aliquando vero maritus non est nobilis sanguine, fit autem nobilis ratione magistratus et officii, quæ dici solet nobilitas accidentalis, et duobus modis acquiritur secundum jura. Uno modo ut separabilis, etiamsi magistratus aut dignitas relinquatur, ut senator fit nobilis ex tali munere, et manet nobilis, etiamsi administrationem relinquat. Alio modo solet conferre officium nobilitatem quamdiu geritur, illo vero deposito cessat nobilitas; uterque enim modus habetur in jure, et ex illius dispositione pendet. In utroque ergo modo uxor participat nobilitatem accidentalem mariti, et consequenter gaudet privilegiis ejus; aliter vero et aliter. Nam quando nobilitas accidentalis est de se perpetua, seu separabilis ab administratione et munere, tunc uxor gaudet ejus privilegiis, non solum vivente marito, sed etiam mortuo, quia etiam tunc nobilitate gaudet; quando autem nobilitas accidentaria pendet in esse et conservari a munere, tunc uxor gaudet privilegiis mariti illo vivente; non autem mortuo, quia jam amisit nobili-

tatem. Imo idem erit, licet maritus non moriatur, si magistratum relinquat, quia eo ipso perdit nobilitatem, et consequenter privilegia. Unde addi potest quartum membrum, quando privilegium datur marito sine ullo respectu ad nobilitatem naturalem, vel accidentalem, separabilem vel inseparabilem ab officio, sed pure ratione officii vel administrationis: nam sic aliquando conceditur privilegium sine ulla nobilitate, et tunc uxor non gaudet privilegio mariti, etiam illo vivente. Quia officium non communicatur sicut nobilitas, nec invenitur dispositio juris in qua communicatio talis privilegii possit fundari. Et ita applicatur optime regula data.

3. Unde obiter colligitur decisio illius questionis, an uxor clerici conjugati gaudeat privilegiis ejus, quam tractat Sanc., l. 7 de Matr., disp. 47, et recte definit non gaudere, sequiturque ex regula posita. Nam illa privilegia conceduntur propter dignitatem et munus clerici, quod nullo modo communicatur uxori: nec est aliquod jus quod illam communicationem talium privilegiorum faciat. Imo in ipso marito restringuntur ratione matrimonii, ut constat ex c. unic. de Cler. conjug., in 6; et ex Trid., sess. 23, c. 6 de Refor. Et merito, quia per matrimonium detrahit multam illi traditioni ad divinum obsequium, quæ per ordinationem fit vel inchoatur; et est ratio talium privilegiorum, ut dixit Innoc. in c. 4 de Major. et obed. Solum in l. 2, c. de Episcop. et Cleric., fit quædam specialis concessio, quæ regulam generalem positam confirmet. Quæ regula potest similiter applicari ad bona earumdem personarum. Nam privilegium mariti quoad immunitatem honorum suorum, non communicatur uxori quoad propria bona, nisi forte illa immunitas honorum concedatur media nobilitate: tunc enim communicata nobilitate, communicabitur etiam immunitas honorum; ubi autem sine nobilitate conceditur illa immunitas ratione officii, non est talis communicatio, nisi exprimat. Et nihilominus addendum est quod si, ratione matrimonii, bona uxoris et mariti fiant communia, et quasi indivisa, tunc etiam uxor fovetur privilegio mariti quoad immunitatem honorum, quia tunc usus privilegii ex parte mariti est connexus cum uxore, nec potest ab illa separari, et ideo oportet dicere aut maritum non posse uti privilegio, quod dicendum non est, aut per quamdam necessariam consecutionem communicari uxori, quod rationi consentaneum est. Et eodem modo philosophandum est de quocum-

que privilegio mariti, quo ipse uti non possit sine consortio uxoris.

4. *Dicta de uxore et marito applicanda esse ad patrem et filios.*—Præterea, quæ de uxore et marito diximus ad patrem et filios applicanda sunt; nam filii in hoc æquiparantur matri, comparatione facta ad patrem, seu maritum. Proceditque quando in privilegio patris filii non nominantur, quia sunt personæ diversæ, et sola habitudo relationis non sufficit, ut in uxore declaratum est. Et ita de filiis docuit Gloss. in c. *Licet*, de Censib., quæ similiter negat filium privilegio gaudere patris. Idem tenetur etiam ex Gloss. in l. 2, c. de Episc. et Cleric., et ibi Bald., n. 5, et Alex. de Nevo, cap. 2 de Foro comp., n. 22. Et ratio patet supra dictis, quia tale privilegium personale est, quod non transit ad hæredes. Imo periculum non transit ad hæredes filios, mortalitatis, verum etiam nec communicatur filiis, vivente patre, quia non egreditur personam. Hoc autem cum duplici limitatione accipiendum est. Una est nisi aliunde, et ex vi alterius juris fiat talis communicatio, vel transmissio, ut contingit in privilegio concessio marito in dicta l. *Maritum*, nam extenditur ad filios, in l. *Etiam*, ff. Solut. matrim. Alia est de privilegio quod datur media nobilitate: nam tunc filii gaudent privilegio patris, sive nobilitas sit naturalis, quia illam habent ex vi originis, et quasi naturali jure aut gentium, sive sit accidentalis, quia illam participant ex vi juris civilis, ut patet ex l. *Femina*, ff. de Senat. et l. 4, cod. de Dignit., lib. 12. Quod procedit cum proportionem in nobilitate ex munere, separabili vel inseparabili ab illo: nam prior transit ad filios, etiam mortuo patre; posterior autem tantum illo vivente, sicut de uxore dictum est. Et ita in simili exponit d. Glossa in l. 2, c. de Episc. et Cleric., verb. *Filii*, et explicatur aperte in l. ult., c. de Injur. Et juxta hæc intelligenda sunt, quæ de hoc puncto docuit Panorm. in dicto c. *Licet*, de Censib. in fine, cum Cyno in l. 2, c. de Episc. et Cleric., et Syv., verb. *Privilegia*, quæst. 5, et eodem modo intelligo quæ Baldus tradit in citatis locis: loquitur enim de immunitatibus, vel privilegiis, quæ conceduntur patri ratione alicujus muneris, in quo filii participant vel nobilitatem, vel civitatis jus, et similia.

5. At vero si privilegium expresse contineat vocationem filiorum, aut posteritatis, tunc privilegium vel fit reale, ac perpetuum, et sit transit ad hæredes juxta dicta in supe-

rioribus, vel certe directe conceditur omnibus nominatis. Solum est advertendum, quando privilegium conceditur patri et filiis, ambiguum relinqui, an concedatur filiis tantum post mortem patris, vel tantum eo vivente, vel in utroque tempore. Verum tamen dicendum est, per se loquendo talem concessionem ita esse interpretandam, ut intelligatur facta filiis vivente patre. Ita Bart. in l. *Gallus*, § *Quidam recte*, ff. de Lib. et post. n. 11; Sylvest. dicta q. 5. Exemplum clarum est in l. 2, c. de Episc. et Cler. in fine, ubi clericis, et filiis eorum (utique legitimis, et ante sacrum clericatum natis) privilegia conceduntur. Debet autem hoc intelligi, quando privilegium tale est, ut a patre ac filiis simul et divisim obtineri possit, quia tunc non oportet constituere ordinem inter patrem, et filios, nec est ullum fundamentum ad illum postulandum, vel ad differendum effectum privilegii in filiis usque ad mortem patris. Si autem privilegium tale est, ut censeatur adherere alicui conditioni, vel dignitati propriæ patris quæ non transit ad filium, nisi per mortem patris, tunc contrarium est dicendum, ut constat: imo tunc non perveniret ad filium, nisi quatenus in tali conditione, vel dignitate succederet. Unde si non posset esse in multis personis simul, etiam privilegium non transiret ad filios in plurali simul, sed successive, prout in dignitate, vel majoratu succederent. Et consequenter si conditio illa, in qua fundatur privilegium, ita esset propria patris, ut filii in ea non succederent, censerentur filii gaudere tali privilegio solum vivente patre, juxta regulam positam a Bald. d. l. 2, c. de Episc. et Cler., n. 5, et ab aliis probatam, et consentaneam juribus supra allegatis, et rationi, quia si fundamentum omnino destruitur, et in successoribus non permaneret ullo modo, quomodo potest privilegium in eis manere. Et idem cum proportionem probatur ex dictis de uxore viduata. Et infra tractando de communicatione privilegiorum magis constabit.

6. *De nepotibus.*—Et juxta hæc definendum est tertium exemplum de nepotibus, quod veniant nomine filiorum. Nam in privilegiis simpliciter id negandum est, nisi verba ipsius privilegii satis clare nepotes comprehendant, vel in speciali, vel saltem in generali nomine posteritatis aut descendantium, vel alio simili, vel etiam nomine hæredum, quando ipsi hæredes fuerint. Ratio est, quia talia privilegia, ut sic, sunt personalia, et ita non transcendunt personas ad quas diriguntur.

Nam de privilegiis realibus nulla est quaestio; quia si contingat illa transire ad nepotes, non erit ex eo quod sub filiis intelliguntur, sed quia res, cui adhæret privilegium, ad illos pervenit vel pertinet. Quo modo intelligendam puto Authent. *Si quid*, c. Qui potiores, etc. Loquendo ergo de privilegiis personalibus, vera est resolutio, quod nepotes non comprehenduntur nomine filiorum nisi aliud exprimat, quod maxime verum habet in privilegiis odiosis, tamen in rigore etiam procedit in favorabilibus, quia non extenduntur ultra verborum proprietates, nisi fuerit jure expressum. Et ita sentit Barb., d. l. *Maritum*, n. 80, et sumitur in his quæ tradit Reb. in l. *Liberorum*, 220, ff. de Verb. signif. Per quam exponenda est dicta l. *Justa*, eod., scilicet, sæpe filiorum nomine venire nepotes ex benigna juris interpretatione; hoc tamen non esse regulare, atque ita non esse ad privilegia extendendum, nisi ubi de jure vel de mente concedentis alias constiterit.

7. *Non esse inconveniens ut sub principali veniat accessorium, quando finis et ratio privilegii illorum concomitantiam requirit.* — *Posse recitari cum privilegiatio hora qua ipse privilegiatus.* — Ad ultimum denique exemplum, respondetur non esse inconveniens ut sub principali veniat accessorium, quando finis et ratio privilegii illorum concomitantiam seu concursum requirit. Et ita est in casibus ibi insinuatis. Et ita pro regula traditur privilegium eos comprehendere, sine quibus inutile esset privilegium ei cui principaliter conceditur. Ita Abbas, in c. *Quam sit*, de Jud., n. 1; sic ergo dicendum est de privilegio dicendi Missam tempore interdicti; nam inutile esset si non posset minister aliquis illo gaudere. Nec enim cogendus est sacerdos habens tale privilegium quærere ministrum qui similem favorem habeat, ut ab eo juvari possit: hoc enim accidentarium est et ab eo non pendet utilitas prioris privilegii, quod per se debet esse efficax. Neque tunc fit extensio privilegii, sed rigorosa et juridica interpretatio; nam qui facultatem vel potestatem aliquam concedit, omnia necessaria ad illius usum, quæ ab ipso concedi possunt, intelligitur concedere, argumento textus in c. *Præterea*, de Offic. deleg. Dubitari autem potest an sit idem dicendum, quando non est tam necessaria connexio, sed ex quadam decência vel morali commoditate. Exemplum in praxi contigit in Sacerdote quodam, qui a summo Pontifice privilegium obtinuit recitandi matutinum paulo post meri-

diem, dubitatumque fuit an privilegium illud extenderetur ad socium, ita ut licet ille etiam esset Sacerdos, aut beneficiatus, vel religiosus, satisfaceret suo muneri simul cum alio privilegiato eadem hora recitando. Ibi enim erat major dubitandi ratio, quia socius non est ita necessarius ad recitandum, sicut ad faciendum sacrum. Nihilominus tamen cuidam viro gravissimo et Apostolico Nuncio visum est, privilegium illud etiam ad socium extendi, et ita observatum est. Potuit autem illa interpretatio fieri ab illo illustrissimo viro, vel ex speciali auctoritate, quam ut Apostolicus Legatus hoc habere poterat, vel certe ex probabili juridica conjectura mentis concedentis, privilegium illud concessit ad juvandum sicut nequitiam et labores privilegiati; parum arduum fuisse levamen, nisi ex vi ejusdem privilegii daretur facultas recitandi cum sociis, qui simul posset suæ obligationi satisfacere.

8. *Accedit quod, licet recitare privatos non socio non sit absolute necessarium, est tamen communiter in Ecclesia usitatum, et magis conforme choro ecclesiastico; ergo credibilis est privilegium dari ad illum etiam recitandi modum.* Denique favet c. *Licet*, de Privileg. in 6, ubi explicatur privilegium datum singulari personæ ad celebrandum vel audiendum divina tempore interdicti, extendi ad familiares et domesticos ejus, ut cum illa possint audire divina, vel ei assistere celebranti. Quæ non videtur ibi tradi ut nova concessio, sed ut legitima interpretatio prioris, fundata vel in quadam decência, quia persona illa solet esse illustris, vel gravis, et pro sui status conditione solet familiares suos secum ad divina officia ducere, vel cum eis comitatus incedere; vel in morali quadam congruitate, quia patronus, habens curam familiæ suæ, non sui tantum, sed etiam familiæ suæ curam gerere debet; et ideo mens Pontificis fuit illi omnibus modis providere. Per hæc ergo de similibus privilegiis judicandum est; cavendum tamen est ne hæc extensio ad socios vel familiares nimia facilitate fiat, sed magna consideratione et maturitate fiat, juxta capacitatem et exigentiam materiæ privilegiorum. Quædam enim sunt tam odiosa et tam stricti juris, ut extendenda non sint ad socios, nisi quatenus in tenore privilegii expresse continentur. Et tale esse puto privilegium ingrediendi monasteria monialium, et alia hujusmodi.

CAPUT XII.

DE COMMUNI ET ORDINARIA FORMA PRIVILEGII.

1. *De forma interna et externa privilegii.* — Explicato subjecto seu materia privilegii, dicendum sequitur de illius forma, quæ in privilegio se habet veluti ejus causa formalis. Et quoniam diximus humanum privilegium esse quandam legem humanam, ad illud debent cum proportionem applicari quæ de legis humanæ forma supra generatim dicta sunt; potest ergo hic etiam distingui forma interna et externa. Sed circa priorem non immorabimur, quoniam sumatur pro voluntate, seu consensu, vel intentione concedentis, satis per se constat esse necessariam, quia consensus principis et petitis maxime est de necessitate legis, quæ est essentia omnis promissionis, donec contractus humani; eademque ratio est de privilegio. Quomodo autem cognoscatur, vel investigetur mens concedentis ex verbis privilegii, magna ex parte in præcedentibus capitulis declaratum est, et paulatim consummabitur in sequentibus, præsertim infra tractando de interpretatione privilegii. Si vero interna forma privilegii dicatur ratio concedendi privilegium, illa coincidit cum finali causa privilegii, de qua dicemus inferius. Formam autem legis externam appellavimus signum sensibile et externum, quo voluntas legislatoris innotescit, et hoc signum pari ratione necessarium est in privilegio, sicut est etiam necessarium in omni humana communicatione. In eodem vero signo duo distinximus, quæ in privilegio etiam inveniuntur, scilicet, res sensibilis, quæ est signum, et ipsa ratio formalis signi: addidimus vero tertium, scilicet, solemnitatem promulgationis, quæ in privilegiis habet specialem difficultatem, et ideo infra specialiter tractabitur. Signum autem quoad ejus materiam satis jam explicatum est demonstrando essentiam privilegii, ubi ostendimus scripturam non esse simpliciter necessariam ad substantiam privilegii, et consequenter sufficere quodlibet signum, cujuscumque conditionis seu materiæ sit, dummodo sufficienter declaret consensum principis, saltem tacitum, ut in privilegio ex consuetudine magis declaravimus.

2. *Significationem verborum esse maxime de substantia formæ privilegii.* — De significatione autem ipsa, certum illam maxime esse de substantia hujus formæ, quatenus humana

est, quia illa est quæ in se continet suo modo voluntatem principis, tanquam unicum morale instrumentum ejus (ut sic dicam), seu virtutis, et operationis illius, quia voluntas principis non operatur nisi ut manifestata hominibus; manifestatur autem per verba aut scripta, quatenus vim significandi habent, ut constat. Et ideo in privilegiis, sicut in aliis legibus, maxime attendendum est ad propriam verborum significationem, et ad usum illorum, vel communem, vel juridicum. Ad hanc igitur verborum significationem pertinent variæ formulæ et modi concedendi privilegia, quæ valde diversam vim habent et efficaciam, ideoque illas attingere et explicare operæ pretium erit. Possumus autem hanc formam distinguere in ordinariam seu directam et absolutam, et in virtuales, indirectam seu respectivam. De hac ergo posteriori, quæ multiplex est, dicemus in capitulis sequentibus; hic breviter de priori dicemus, nonnullas ejus partes declarando.

3. *Constat igitur ex dictis substantiam hujus formæ constare in verbis quæ sufficienter significant concessionem alicujus gratiæ aut specialis juris alicui factam, pro se vel pro rebus suis, in perpetuum, vel ad certum tempus, vel indefinite, juxta dicta in præcedentibus capitulis.* Ex quibus etiam constat ratio et intelligentia hujus descriptionis. Solumque oportet advertere, licet dictum sit verba vocalia sufficere ad substantiam privilegii, nihilominus hic præcipue esse sermonem de verbis scriptis; tum quia sicut sunt moraliter necessaria inter homines ad stabilitatem et durationem privilegii, ita etiam sunt maxime usitata; tum etiam quia intelligentia privilegii ex tenore verborum ejus maxime pendet, et ideo ille maxime spectandus est, juxta c. *Porro*, c. *Recepimus*, cum similibus, de privilegiis. Hoc autem fieri commode non potest, nisi scripta sint verba privilegii, ut tam ex illorum proprietate, quam ex consecutione ac collatione antecedentium cum consequentibus, vera mens concedentis percipiatur.

4. *Tres partes in privilegio considerandæ.* — Tres ergo partes in privilegio considerandæ sunt ad intelligendam substantialem formam ejus, nimirum illam quæ antecedit concessionem privilegii, quæ solet esse petitio privilegii seu exordium, quod illam indicare solet, quando præcessit, vel saltem rationem, causam, vel necessitatem privilegii. Alia est concessio formalis privilegii, per quam voluntas principis explicatur. Tertia esse potest consequens con-